

ita componerentur, ut satis Reipublicæ fieret : neque ab eo Ferdinandus frater dissentire videbatur . Itaque Regum fratrum nomine Antonius Queta Venetias advenit : Francisco Contarino , ac Hieronymo Grimano , qui Francisco Sanuto vita functo suffectus est , negotii pertractandi mandata dantur , ut ea , quæ Tridenti agitata fuerant , perficerentur . Francisco Michælio fisci advocato , ac Justinopolitano magistratui mandatur , ut cum Cæsaris legatis de Histriæ provinciæ finibus decernerent . Civialis quoque Carnici magistratui , Vicetiæ , ac Veronæ præfectis , ut in eorum finibus idem efficiant , præcipitur . De Marani oppido in Cæsaris aula disceptari placuit ; quinque supra septuaginta aureorum millia , reliquis sublati controversiis , Veneti ex Bononiensi foedere se soluturos pollicentur . Hæc Byzantium perlata , malevolorumque hominum vocibus , ac vanis , ut plerumque fit , rumoribus aucta , Turcarum animos permovebant , quod Rempublicam Ferdinando , & Cæsari in eorum exitium conjunctam suspicarentur , pecuniamque ad cogendas , atque instruendas copias a Venetis Cæsari ministrari dicerent , licet veritatis lumine quæ Reipublicæ officere videbantur * . Ceterum magnis curis Patres sollicitabantur , veriti , ne proferendi imperii cupiditate , quietis impatientes Principum animi ad aliorum perniciem , ac præsertim Italiæ eximio concordiæ bono abuterentur ; cum Cæsar se Aureliano Duci , Regis filio , cum Insubrum dote neptem , aut filiam nuptui daturum tandem statuisset . Itaque quo belli suspiciones ab Italia averterent , Byzantinis induciis caveri curabant , ne earum tempore Cæsari , ac Ferdinando Italiam armis laceßere liceret . Rustenus nominatim Venetis , uti Regis amicis induciarum legibus caveretur , se velle significavit . Si quis adversus eos arma movisset , is foedera violasse censetur . Inde subobscuris illata sermonibus quorundam animis dubitatio irrepsit , Venetos occulto induciis adversari : quæ res Cæsarem permovit , ut Mendozzium legatum Tridento , ubi tunc erat , Venetias reverti juberet . Is Senatus auctoritatem , atque operam ad inducias perficiendas petiit , ut amicam Rempublicam Cæsarem nominaturum pollicitus . Senatus , ne Cæsari deesset , omne studium , ut induciæ perficerentur , adhibeat , legato apud Suleimanum mandat . Sed re Byzantii

Cæsar filium aut neptem Duci Aureliano cum Insubrum dote conjugere decernit .

Turcæ Venetos induciis comprehendendi velint .

Mendozzius a Cæsare Venetias mittitur .

Induciæ annuæ iter Austriacos & Turcas .

agi-